

86.

DISPUTATIO LOGICA
De
DOCTRINA SYL-
LOGISTICA;

Quam,
Aspirante divini Numinis gratiâ,

Præside

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO,
DN. M. HENRICO GUTHBERLETO, PHILOSOPHIÆ
Professore ordinario in illustri schola Sigenensi-Nassovica, præcepto-
re suo colendo, Philosophiæ studiosis publicè examinandam ac
ventilandam proponit, ac pro virili defendere
conabitur

CUNRADUS NEICERUS Dreifo-Wedanus.



HERBORNÆ NASSOVIORUM
Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1607.

REVERENDIS, PIETATE
ET DOCTRINA PRÆSTAN-
tissimis viris,

DN. CHRISTIANO NEICERO, patri
suo honorando:

DN. PETRO CREIGIO:

DN. BALTHASARI PISCATORI, co-
gnato suo:

DN. HENRICO BLITTERSHAGIO:

DN. TILLMANNO ANRODERO:

DN. ANDRÆ SARTORIO:

Pastoribus Comi-
tatus Wedani fi-
delissimis ac vigi-
lantissimis:

NEC-NON

DN. JOHANNI CORFFIO, Ecclesiæ Merensis pastori fide-
lis. avunculo suo summâ observantiâ colendo:

*Studiorum suorum Mæcenatibus, sinceræ religionis af-
fertoribus, dominis suis ac fautoribus, has studio-
rum suorum primitias, in grati animi σήμερον*

offert & inscribit

RESPONDENS.

EPIGRAMMA AD EOSDEM.



Os clari virtute viri, pietate celebres,
Quos tangit intimus probè
Relligionis amor.

Qui Iponiam Christi regitis, dextreque docendo
Proponitis feliciter

Dogmata pura Dei.

Excipite hospitio placide præsentia dona,

Opus licet non fecerit

Sedula cura probum.

Munera parva licet, cultu tenuique parata,

Hæc muneris sunt attamen

Pignora grata mei.

O utinam vobis, sicut benefacta merentur,

Viri mihi venerabiles,

Digna referre queam.

Vulgus nobilium pretiosas mittere gemmas

Soler: sed ego chartacea

Munera parva ferò.

Illa tamen mites admittite fronte serenâ,

Calcaribusque subditis

Orsa juvate mea:

Et placido cœptos urgete favore labores

Meos, ut estis antehac

More pio soliti.

Quod superest, precor ut seros vivatis ad annos,

Pascatis ut salubriter

Nobile ovile Dei.

Et quum finis erit vitæ ærumnæque, perenne

Carpatis unâ gaudium

In requiete poli.

CUNRADUS NEICERUS Resp.

THESIS I.

Trahit sua queng voluptas, inquit Virgilius in Eclog. Nos itaq; de iudicio syllogistico, nobilissimo & praestantissimo rationis dirigenda instrumento, ubi enuntiatio una ex altera legitime deducitur, ad quaestionem propositam demonstrandam, συζητήσιν nostram instituire constituimus.

II.

Quum autem nomina sint nota rerum, & nominum notitia in ipsius rei notitiam saepe deducat, considerabimus primò nominis definitionem, deinde rei. Nam εἰς τὸ ἐξ-
δῶς διδῶσκειν, δ' εἰς τῶν ὀνύματα ἐξέρχεται.

III.

Dicitur autem syllogismus παρὰ τὸ συλλογίζεσθαι, quod propriè est rationem subducere, seu multos numeros in unam summam colligere. Hinc cum simile quiddam in argumentatione logica conspiciatur, translata est vox syllogismi ad logicam, ut: Una ulna panni emitur tribus florenis, & ter octona sunt viginti quatuor, unde colligo, 24. florenis emi ulnas 8. Est itaq; syllogismus quasi συλλογὴ τῶν λόγων, hoc est, collectio rationum.

IV.

Syllogismus est dianôia, quâ quaestio cum argumento tertio ita disponitur, ut posito antecedente necessario concludatur.

V.

Definitio hac adeò clara est & perspicua, ut vix declaratione ullâ opus habere videatur, & constat genere, formâ & fine.

VI.

Genus indicatur in voce dianôia, quâ methodo cum syllogismo est cōmunis. Nam utring; fit mentis discursus ab unâ enuntiatione ad aliam: in methodo ab uno aliquo generalissimo enuntiato per varia homogenea ad specialissimum, ut scilicet an aptè & convenienter inter se connexa sint enuntiationes, iudicetur; in syllogismo verò à propositione ad assumptionem, ab utrâq; ad complexionem discurremus, ut nimirum consequentia vis appareat, & dubia veritas manifesta fiat.

VII.

Genus syllogismi ab Aristotele ponitur λόγος, quæ vox modò orationem, modò rationem significat. Si pro oratione sumitur, observandum est, λόγος esse duplicem,
unum

unum τὸν ἕξω, hoc est, externum, qui & ἀποφαινεῖς καὶ κατὰ τὴν φωνήν, hoc est, prolatus dicitur: alterum τὸν ἐσω, internū, qui & ἐνδιαθετός καὶ ἐν τῇ ψυχῇ, hoc est, in mente conceptus seu mentalis (fas sit ita loqui) nuncupatur, & nihil aliud est quàm dianōia: Ille verum genus non est; hic verò est.

VIII.

Forma consistit in legitima argumenti cum quaestione dispositione, unde necessario colligitur & deducitur conclusio.

IX.

Finis est necessitas conclusionis, quæ ex vi legitima dispositionis infertur. Hinc Petrus Ramus in scholis ait: Syllogismi proprium esse certam dispositionem & nunquam fallentem præscribere, ut antecedentibus positus conclusio seu consequentia necessario eliciatur. Cave autem putes conclusionem oportere esse axioma necessarium, cum hic intelligatur necessitas non consequentis, sed consequentia.

X.

Ex hac definitione fluit illud confectarium in scholis perquam receptum & usitatum: In Syllogismo non sint plures termini nec pauciores quàm tres, quorum duo sunt in quaestione, tertius est argumentum tertium, quod tanquam arbitri honorarius thema controversum confirmat, quum nihil de quo dubitatur, possit ipsum sibi fidem facere, sed oportet demonstrari per aliud.

XI.

Partes syllogismi sunt duæ, præmissæ & conclusio, seu, ut Petrus Ramus loquitur, antecedens & consequens.

XII.

Præmissæ sunt propositio & assumptio.

XIII.

Propositio est prima pars syllogismi, qua quaestionis saltem a consequens cum argumento disponitur. Hæc dicitur etiam ab aliis propositio maior, quod in simplici syllogismo contineat maiorem terminum seu predicatum quaestionis. Dicitur simpliciter propositio, Græcè ἀπλοῦς, κατὰ τὴν ἑξοχήν, quia est veluti fundamentum reliquis partibus syllogismi substratum. a) quia in composito syllogismo tota quaestio cum argumento disponitur.

XIV.

Assumptio est secunda pars, quæ assumitur è propositione. Dicitur hæc propositio minor, à minore extremo seu subjecto quaestionis, quod in assumptione cum argumento disponitur si syllogismus sit simplex.

XV.

Hinc manat confectarium: In syllogismo non sint quatuor termini. Tunc autem quatuor termini fiunt, quando argumentum tertium in assumptione aliud est vel significat, quam in propositione; unde efficitur, ut assumptio non assumatur è propositione. Mutatâ enim vocis significatione mutatur res. Nec enim logicus spectat vocem, sed sensum qui voce exprimitur, ut non sequitur: Animal est generis neutrius.

Homo est animal. Ergo est generis neutrius.

XVI.

Conclusio est pars syllogismi, quæ complectitur partes quæstionis, eamq; concludit; unde etiam complexio dicitur, quia partes quæstionis cum argumento in præmissis dispositas colligit & complectitur.

XVII.

Hinc regula de conclusione trita in scholis,

Medium non debet ingredi conclusionem:

Lex generalis erit, medium concludere nescit.

XVIII.

Non debet plus esse in conclusione, quam in præmissis. Ratio, quia non potest plus concludi, quam probatum est.

XIX.

In syllogismo affectio occurrit, quæ Crypsis dicitur, unde syllogismus crypticus seu occultatus vocatur.

XX.

Crypsis syllogismi sunt tres, Enthymema, prosyllogismus & inversio.

XXI.

Enthymema est syllogismus affectus crypsi, cui una præmissarum deest. Cum hinc dubium oritur, addenda est pars, quæ deest, & formandus integer syllogismus, ut error tollatur.

XXII.

Prosyllogismus est, quando quid præter tres partes accipit. Et sic dicitur, quia pro principali syllogismo defendendo quasi pugnat. Alii scribunt per duplex $\sigma\sigma$ $\alpha\epsilon\gamma\sigma\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu\delta\varsigma$, propterea quia ad principalem syllogismum muniendum ad-jicitur.

XXIII.

Inversio five Αναστροφὴ est, quando naturalis ordo partium invertitur, ita ut assumptio primo loco, conclusio secundo ponatur, propositio ultimo, vel quocumq; alio modo contra naturæ ordinem.

XXIV.

Principium canonicum seu regulativum est: Quæ duo conveniunt in uno tertio, ea inter se conveniunt & contrâ. Atq; hoc principium attenditur in omni syllogismo.

XXV. Syl-

XXV

Syllogismus est vel simplex, vel compositus. *Vulgo illum appellant Categoricalum, hunc Hypotheticum.*

XXVI.

Syllogismus *a* simplex est, ubi pars *b* consequens quaestionis disponitur in propositione, pars *c* antecedens in assumptione.

a) Simplex dicitur, quia partes quaestionis cum argumento tertio in antecedente disponuntur simpliciter, hoc est, ita, ut argumentum nunquam cum quaestionis partibus simul disponatur in una praemissa, sed distractè, cum una parte in una praemissa.

b) Major terminus dicitur, quia antecedentem partem plerumq; exsuperat, aut saltem ei aequalis est, angustior nunquam. Nihil enim angustius potest enuntiari de communi.

XXVII.

Principium omnium syllogismorum simplicium est, Dictum de omni & nullo, si excipias syllogismos singulares.

XXVIII.

Hic enim si propria & singularis sit propositio, infra se illa nihil continet, quod particularis seu specialis rationem habeat.

XXIX.

Sub dicto autem de omni & nullo continetur omnis syllogismus simplex, & quidem vel directè vel reductiè. Directè, ut syllogismus primæ figura: reductiè, ut cæteri.

XXX.

Dictum de omni est, cum prædicatum sic dicitur de subiecto, ut sub subiecto nihil comprehendatur de quo non dicatur prædicatum, seu quando aliquid prædicatur universaliter de toto, ita ut etiam prædicetur de qualibet ejus parte subiecta, ut:

Omne vitium est fugiendum.

Ergo & mendacium, quia vitium est, fugiendum est.

XXXI.

Dictum de nullo est, quando prædicatum sic removetur à subiecto, ut nihil sub subiecto comprehendatur, à quo non removeatur prædicatum, seu quando negatur aliquid universaliter de toto, ita ut negetur etiam de qualibet ejus subiecta parte, ut:

Nullum vitium est amplectendum.

Ergo nec mendacium, quia vitium est, amplectendum est.

XXXII.

Syllogismus simplex secundum qualitatem vel affirmativus est, vel negativus.

XXXIV.

Affirmativus constat è partibus omnibus affirmatis, propositione, assumptione & conclusione.

XXXV.

Philippus Melancthon iudicat qualitatem ex conclusione, cum inquit, affirmatum syllogismum esse, cuius conclusio sit affirmata; sed rectius eam mavult Petrus Ramus estimare ex causâ, videlicet ex dispositione in antecedente factâ.

XXXVI.

Negativus è negata alterâ præmissarum cum conclusione, sive sit propositio sive assumptio.

XXXVII.

Hinc canon: Ex puris negativis nihil sequitur, quia si argumentum dissentit ab utrâq; questionis parte, nulla ejus ad inferendum vis esse potest. Oportet enim esse consensionem seu connexionem saltem unius partis questionis cum argumento.

XXXVIII.

Secundùm quantitatem syllogismus simplex est vel universalis, vel particularis, vel singularis.

XXXIX.

Universalis ex utraque præmissa universali.

XL.

Particularis ex alterâ tantùm universali.

XLI.

Hinc illud axioma usitatum: Ex meris particularibus nihil sequitur. Oriuntur enim ex meris particularibus quatuor termini. Nam de alio particulari potest loqui propositio, de alio assumptio, ut:

Peccatores à Deo odio habentur,

David fuit peccator.

Ergo David à Deo odio habitus est.

Propositio loquitur particulariter de iis peccatoribus, qui non resipiscunt: Assumptio verò de tali peccatore, qui resipuit & poenitentiam egit. Propositio itaq; universaliter intellecta & informata falsa est.

XLII.

Singularis ex utrâq; singulari.

XLIII.

Syllogismus simplex est vel contractus, vel explicatus.

XLIV. Con-

XLIV.

Contractus syllogismus est syllogismus simplex, ubi argumentum semper antecedit quæstionis partes, & in assumptione affirmatum conclusionem particularem efficit.

XLV.

Petrus Ramus sic definit: Contractus est, quando argumentum pro exemplo ita subicitur particulari quæstioni, ut utramq; partem antecedens & assumptione affirmatum intelligatur.

XLVI.

Scilicet Ramus sic definit hunc syllogismum, quia in ea fuit opinione, eum nusquam in usu disserendi plenè dispositum inveniri, unde contractum eum appellavit, sed in eo fuit Ramus deceptus, ut docent exempla quamplurima à quibusdam industriis logicis observata. Nos contractum vocamus, quia ut plurimum in usu disserendi contrahitur.

XLVII.

Ceterum in definitione quatuor observanda sunt: 1. argumentum esse speciale exemplum. 2. quæstionem a esse particularem, vel quasi particularem. 3. argumentum utramq; b partem quæstionis semper antecedere in propositione & assumptione. 4. c affirmari in assumptione.

XLVIII.

a) Quæstionem propterea oportet esse particularem, quia argumentum à specie est desumptum, à quâ ad genus non nisi particulariter concluditur. Positâ enim specie non ponitur quicquid est sub genere, sed pars generis. b) Argumentum propterea antecedit in antecedente, quia ad utramq; partem se habet ut species ad genus. Species autem non predicatur de genere, sed contrâ. c) Assumptio debet esse affirmata, quia argumentum antecedit in propositione majore, quare angustius est consequente parte quæstionis, ac proinde tantam vim non habet, ut suâ à minore termino disensione faciat dissentire majorem à minore termino, ut:

Omnis homo est animal.

Nullus homo est asinus. E.

Quidam asinus non est animal.

XLIX.

Aristotelici hunc contractum syllogismum vocant syllogismum tertiæ figuræ, eumq; collocant ultimo loco, quòd in syllogismo hujus figuræ necessitas illationis non tam evidens sit, ut in reliquis. Sed contrâ eum collocat Ramus primo loco, quòd omnium figurarum sit imperfectissima, utpote quæ non potest ostendere conclusionem universalem. Deinde etiam propter simplicissimam argumenti tertii cum quæstionis partibus

dispositionem. Semper enim antecedit. Methodus autem requirit, ut ab imperfectioribus ad perfectiora progrediamur.

L.

Vulgò sex hujus figure modos recensent, quos his versiculis ita recitare solent:

Tertia grande sonans tibi dat Darapti, Felapton,

Adjungens Disamis, Datifi, Bocardo, Ferison.

Quid autem consueverint haec vocabula sibi velint, infra dicetur ubi de Reductione agitur.

LI.

Syllogismus in modo Darapti est Petro Ramo universalis affirmans, ut:

Omnes pii sunt beati.

Omnes pii sunt mundo exosi.

Ergo quidam mundo exosi sunt beati.

Felapton Ramo est, universalis negans, ut:

Nullum legitimum imperium est excutiendum.

Omne legitimum imperium habet onera gravia.

Ergo quoddam habens onera gravia non est excutiendum.

Disamis particularis affirmans, ut:

Quidam sapiens est dives.

O. sapiens est laudabilis. E.

Q. laudabilis est dives.

Datifi particularis affirmans, ut:

O. sapiens est laudabilis.

Q. sapiens est pauper. E.

Q. pauper est laudabilis.

Bocardo particularis negans, ut:

Quidam credentes non sunt divites.

O. credentes sunt pii. E.

Q. pii non sunt divites.

Ferison particularis negans, ut:

Nulli reprobis iustificantur.

Q. reprobis participant sacramenta. E.

Q. qui participant sacramenta, non iustificantur.

LII.

Hucusque de syllogismo contracto; sequitur explicatus.

LIII. Ex-

LIII.

Explicatus *a* est syllogismus simplex, ubi propositio semper est universalis *b*, aut singularis conclusio *c*, similis antecedenti aut parti *d* debiliori.

LIV.

Explicatus dicitur, quod partes ejus in usu explicentur, hoc est, integrè disposita inveniuntur. *b*) intellige si utrobique fuerit universalis aut affirmata, tunc conclusio universalis & affirmata erit. Universalis, quia argumentum est communius antecedente parte questionis, & ideo pluribus competit, quæ omnia conjunctim cum consequente parte questionis in propositione disponenda sunt, ut assumptio inde possit peti. *c*) quia argumentum partes questionis similiter respicit in universalitate & affirmatione. *d*) pars negata est debilior affirmata, quia non potest efficere convenientiam partium questionis. Quæ enim non conveniunt in aliquo tertio, ea inter se non conveniunt: particularis debilior universali, quia particularis pars in suo ambitu minus continet.

LV.

Species ejus duæ sunt.

LVI.

Prima, ubi argumentum semper sequitur, negatum in altera parte.

LVII.

Aristotelicis hac species dicitur secunda figura, in quâ medius terminus est prædicatum in utroque præmissâ, seu in quâ medius terminus de utroque extremo prædicatur.

LVIII.

Conditiones ejus duæ sunt: 1. Argumentum semper debet sequi, quia est communius utroque questionis parte. Angustius enim nunquam prædicatur de communiori. Deinde præmissarum altera sit negata, aut propositio, aut assumptio, quia quando genus commune affirmatur de duabus speciebus, propterea una species non est affirmanda de altera specie. Obstant enim differentia: quando autem genus negatur de aliqua re, etiam negantur omnes species. Est enim genus speciebus essenziale.

LIX.

Hinc observatio: In secunda figura concluduntur ratione formæ syllogistica tantum themata seu problemata negantia, nunquam affirmantia. Nam cum oppositorum natura sit, ut sibi invicem tribui non possint, efficitur ut in hac figura, ubi opposita concluduntur, negativè semper concludatur. Vitiosè igitur sic concluditur:

Omne brutum est animal.

Omnis homo est animal. E.

Omnis homo est brutum.

LX.

Cum termini sunt reciproci in propositione, vera conclusiones in hac figura affirmativè concluduntur, sed per accidens id fit, non vi formæ, sed ex necessitate materiæ, ut:

Promissus ille Messias debuit ex virgine nasci, crucifigi, sepeliri, tertiâ die resurgere, &c.

Jesus ex virgine natus est, crucifixus, &c.

Ergo Jesus est promissus ille Messias.

LXI.

Modi in hac figura sunt quatuor, duo priores universales, duo posteriores particulares, & his fictis vocabulis, de quibus infra, insigniuntur:

Cesare, Camestres, Festino, Baroco, secunda.

LXII.

Syllogismus in Cesare Petro Ramo est generalis primus, ut:

Nulla natura composita ex elementis habet insitas notitias.

Anima rationalis habet insitas notitias.

Ergo anima rationalis non est composita ex elementis.

In Camestres Petro Ramo est generalis secundus.

Res mortalis est composita ex elementis.

Animus non est compositus ex elementis.

Animus igitur non est mortalis.

In Festino specialis primus, ut:

N. reprobis servatur.

Q. homines servantur. E.

Q. homines non sunt reprobi.

In Baroco specialis secundus, ut:

Omn. oves Christi in ovili manent.

Q. vocati in ovili non manent.

E. Q. vocati non sunt oves Christi.

LXIII.

Hucusque de prima specie syllogismi explicati; sequitur secunda, ubi argumentum antecedit in propositione, sequitur affirmatum in assumptione.

LXIV.

Aristoteli & Philippo est prima figura: verum posterior natura est, quod ex duplici argumenti collocatione constat. Ex contracto enim syllogismo hoc habet secunda species

species explicati, quod argumentum antecedit in propositione; ex primo explicato sumit, quod sequitur in assumptione.

LXV.

Sunt igitur in hac figura duo observanda: 1. Argumentum debet antecedere in propositione, quia est angustius consequente parte questionis: & debet sequi in assumptione, quia est communius antecedente parte questionis. 2. Argumentum in minore propositione sit affirmatum. Quia enim est angustius consequente parte questionis, suâ disensione ab antecedente non efficiet ut consequens ab antecedente divellenda sit. Si speciem negas de specie, non propterea genus de specie negandum est.

LXVI.

Occurrunt tamen etiam syllogismi, in quibus minor videtur negativa, sed re ipsâ non est, quod fit quando medius terminus vocabulo infinito constat, ideo sicut in propositione fuit, ita in assumptione repetitur, ut:

Nullum dogma non expressum in scriptura, est Christianis obtrudendum.

Dogma ubiquitatis non est expressum in scriptura.

Ergo non est Christianis obtrudendum.

Hic argumentum in minore affirmatur, quia non contradicit argumento in propositione majore, sed cum eo est ejusdem qualitatatis. Insertur tamen aliquando vera conclusio, quod fit ratione materiae, cum propositio est reciproca, quâ conversa fit syllogismus secunda figura. Sed id ad dispositionem nihil pertinet.

LXVII.

Suntque quatuor ejusmodi: duo priores universales; & duo posteriores particulares. Insigniuntur quatuor fictis vocabulis, hoc versiculo comprehensis:

Barbara, Celarent, (prima) Darii Ferioque.

LXVIII.

Barbara à Ramo dicitur affirmatus generalis, ut:

Qua Deus prohibuit, sunt fugienda.

Idololatriam Deus prohibuit. Ergo

Idololatria est fugienda.

Qui est in modo Celarent, à Petro Ramo dicitur negatus generalis, ut:

Timidus non est liber.

Avarus est timidus.

Ergo non est liber.

Qui est in modo Darii, Petro Ramo dicitur affirmatus specialis, ut:

Consules virtute facti, studiosè reipub. tueri debent.

Cicero est virtute consul factus. E.

Studiosè rempub. tneri debet.

Qui est in modo Ferio, à Ramo dicitur negatus specialis, ut:

Hostes patrie non sunt laudandi.

Catilina fuit hostis patrie. Ergo.

LXIX.

Atq; hac est doctrina de syllogismo simplici, quem peripatetici logici, ut audivimus, dividunt in syllogismum figuræ primæ, figuræ secundæ, & figuræ tertiæ. Syllogismum autem figuræ primæ vocant syllogismum perfectum, quia directè continetur sub dicto de omni & nullo; syllogismum verò secundæ figuræ & tertiæ vocant imperfectum, quia illi syllogismi sub dicto de omni & nullo non continentur nisi δυνάμει, indirectè & reductitiè, hoc est, quando ad primam figuram reducuntur.

LXX.

Quamvis autem talis reductio necessaria non sit, siquidem unaqueq; syllogismi forma suas habet necessaria consequentiæ rationes: tamen exercitiū & ingenii acuendū gratiā paucula quadam de ea in medium proferre constitui.

LXXI.

Est igitur reductio nihil aliud, quàm permutatio syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ, quæ sit syllogismo figuræ primæ, ut conspectior & evidentior sit consequentiæ necessitas.

LXXII.

Reductio est duplex: Ostensiva & per impossibile.

LXXIII.

Ostensiva est, quæ ostenditur, ad primam figuram congruere consequentiæ reliquarum duarum figurarum: quod fit duobus modis, aut per conversionem tantum, aut per conversionem & transpositionem propositionum simul.

LXXIV.

Conversio est, quando predicatum migrat in locum subjecti & contrà, servatâ propositionis veritate; estq; simplex vel per accidens; in illa manet eadem quantitas & eadem qualitas: ut, Pu Deum rectè colunt, Deum rectè colentes sunt pu. In hac mutatur quantitas, manente qualitate, ut:

Omnis pius est homo.

Quidam homo est pius.

LXXV.

Transpositia est, quando major propositio ponitur loco minoris & contrà.

LXXVI. Re-

LXXVII.

Reductio per impossibile est, quando ex alterâ præmissarum & contradictoriâ conclusionis concluditur contradictoria præmissa prius posita & concessa, ac proinde demonstratur, priorem conclusionem recte illatam esse. Quare ut ostensiva inservit illustrationi, sic hæc confirmationi.

LXXVIII.

In utrâq; autem reductione observanda sunt conficta illa vocabula suprâ à nobis enarrata, quibus syllogismorum prima, secunda & tertia figura modi significantur, ut: Barbara, Celarent, &c. ut appareat, qui modi secunda & tertia figura, ad quos modos prima figura reduci debeant.

LXXIX.

In vocabulis deinde sunt observanda primùm vocales, deinde initiales consonantes, tertio consonantes media.

LXXX.

Vocales sunt a, e, i, o, quibus propositionum quantitas & qualitas indicatur, & his versiculis breviter exprimuntur:

Afferit A, negat E, verum generaliter ambæ:

Afferit I, negat O, sed particulariter ambæ.

LXXXI.

Consonantes initiales sunt. B, C, D, F. Hæ admonent, qui modi ad quos sint reducendi, nempe unusquisq; ad eum modum primæ figuræ, qui incipit ab eadem litera, ut Cesare & Camestres ad Celarent, & sic deinceps.

LXXXII.

Consonantes mediae sunt S, P, M, C. quæ post vocales sequuntur. Hæ requisita reductionis indicant, videlicet, quæ propositio sit convertenda & quomodo, an simpliciter, an verò per accidens; item quæ transponenda, nec non quando opus sit reductione per impossibile. Quodnam verò uniuscujusq; consonantis mediæ officium sit, breviter his versiculis indicatur:

S vult simpliciter verti, P verò per Acci:

M vult transponi, C per impossibile duci.

LXXXIII.

Res manifestior erit in uno atq; altero exemplo, ut: Exemplum simplicis reductionis est,

Ces Nulli credentes damnantur.

a Reprobi damnantur.

re Reprobi igitur non sunt credentes.

Est syllogismus secunda figura in Cesare, quod ex vocalibus agnosco. Reducendum esse ad Celarent in prima figura inde liquet, quia initialis consonans est C. Sed quis erit modus reductionis? Resp. per simplicem conversionem propositionis majoris, quia video ibi post E sequi S, consonans autem S vult simpliciter verti. Syllogismus igitur in prima figura & in modo Celarent erit:

Nulli qui damnantur, sunt credentes.

Reprobi damnantur. Ergo

Reprobi non sunt credentes.

LXXXIV.

Exemplum conversionis per accidens est:

Da Omnis homo est mortalis.

rap Omnis homo est substantia.

ti Quaedam igitur substantia est mortalis.

Est syllogismus tertia figura in modo Darapti, reducendus igitur ad Darii, quia incipit a D. modo conversionis per accidens, quia in assumptione post A. sequitur P. Erit igitur syllogismus sic:

Omnis homo est mortalis.

Quaedam substantia est homo.

Quaedam igitur substantia est mortalis.

LXXXV.

Exemplum transpositionis est:

Cam Omnes credentes servantur,

es Nulli reprobi servantur.

tres Nulli igitur reprobi sunt credentes.

Est figura secunda in modo Camestres, reducendus igitur ad Celarent. Modus reductionis hic est duplex per transpositionem, quod ostendit M. in maiore, & per simplicem conversionem minoris & conclusionis, ut patet ex S. hoc modo:

Nulli qui servantur sunt reprobi.

Omnes credentes servantur.

Nulli igitur credentes sunt reprobi.

LXXXVI.

Exemplum reductionis per impossibile est.

Ba Omnis homo est rationalis.

roc Quaedam substantia non est rationalis.

o Quaedam igitur substantia non est homo.

Est se-

Est secunda figura in modo Baroco, reducendus igitur ad Barbara modo reductionis per impossibile, ut docet litera C, quæ est in minore. Adversarius concessit præmissas, sed non vult concedere conclusionem; quia dicit, talem dispositionem non habere vim necessaria illationis. Quid igitur faciendum? Assumatur contradictio conclusionis, videlicet: Omnis substantia est homo, cumq; ea assumatur quoq; altera præmissarum, ita ut altera relinquatur, unde efficietur conclusio, quæ præmissæ relictæ & antè ab adversario concessæ manifestè contradicunt, ut hoc modo adversarius confundatur, & errorem fateri cogatur, ni velit duas contradictorias simul veras statuere, quod est absurdissimum. Syllogismus igitur, qui per impossibile ostendit, hic erit:

Omnis homo est rationalis.

Omnis substantia est homo. Hoc voluit adversarius.

Omnis igitur substantia est rationalis. Hoc noluit adversarius.

LXXXVII.

Ex his exemplis facile apparet, quomodo ceteri syllogismorum secunda & tertia figura modi ad modos prima figura reducendi sint. Nos fatemur, fieri non posse, ut quidam syllogismi reducantur, nisi quæstio ipsa mutetur, ut sit in syllogismis figura secunda, in quibus negata est assumptio; & figura tertia, in quibus ex specie genus concluditur. Sed manum de tabulâ, quia monuisse satis est.

LXXXVIII.

Sic fuit syllogismus simplex a; compositus est, ubi tota b quæstio est pars altera propositionis c affirmatæ & compositæ, argumentum est pars reliqua.

a) Sic dicitur, quia non pars thematis controversi, sed totum thema disponitur cum argumento in propositione. b) Secus fit in syllogismo simplici, ubi non tota quæstio, sed pars consequens quæstionis cum argumento in propositione disponitur. c) Nunquam enim propositio negata esse potest. Sed, inquis, hæc conditio non est $\pi\alpha\rho\tau\epsilon\varsigma$, quum propositio cum in connexo, tum in disjuncto possit esse negata, ut:

Non si homo est, lapis est.

Atqui homo est. Ergo lapis non est.

Respondent quidam, propositiones ejusmodi per reductionem esse affirmatas. Propositio igitur huic æquivaler: Si homo est, non est lapis. Sed si res penitus inspicatur, in hoc exemplo etiam nulla est deductio assumptionis è propositione. Ideoq; sensus propositionis est attendendus, in quo diversa ponuntur, secundum sensum, quæ tamen reipsa opposita sunt. Hanc enim vim habet negatio connexionis.

LXXXIX.

Quum autem verbi tollendi & assumendi in syllogismo composito frequens mentia sit, ostendendum & pramonendum, quid sit assumere, quid tollere.

XC.

Assumere est repetere in assumptione argumentum ut in propositione fuit, affirmatum affirmatè, negatum negatè.

XCI.

Tollere in syllogismo composito non est idem quod negare, sed specialem contradictionem ponere. Nam interdum est idem quod affirmare, nempe cum quod antea negatum fuit in propositione majori, in propositione minori affirmatur. Sic per affirmationem negatio tollitur, & per negationem tollitur affirmatio.

XCII.

Syllogismus compositus est connexus vel disjunctus.

XCIII.

Syllogismus connexus est syllogismus compositus, cujus propositio est connexa. Dicitur etiam hypotheticus, conditionalis, à conjunctione SI, quæ signum est connexæ propositionis primarium.

XCIV.

Estque duorum modorum.

XCV.

Primus modus est, qui assumit propositionis antecedens & consequens concludit. Hinc axioma: A positione antecedentis ad positionem consequentis valet consequentia.

XCVI.

Evenit tamen aliquando, ut non idem propositionis antecedens assumatur, ut monet Petrus Ramus, sed majus, nec tamen inde oriuntur quatuor termini, siquidem minus majori est inclusum, ut cum dico:

Si essemus duntaxat servi Dei, deberemus ei obedientiam.

At nos sumus filii Dei. Debemus igitur ei obedientiam. Sed si res accuratius inspicatur, in ejusmodi exemplis est prosyllogismus, cujus argumentum à majori est.

XCVII.

Sunt breves nonnullæ formula in syllogismis connexis primis, quæ brevitatis gratiâ adhiberi solent, ut: Verum prius. Ergo & posterius. Verum primum. Igitur & extremum. Antecedens est verum. Ergo & consequens. Prima pars connexi est vera. Ergo & secunda.

XCVIII.

XCVIII.

Secundus modus tollit consequens, ut tollat antecedens.

XCIX.

Nota, cum major propositio reciproca est, tollitur etiam antecedens, ut tollatur consequens. Item assumitur consequens, ut assumatur antecedens: sed hoc non à dispositione, sed à materiæ necessitate est, ut Johan. 15.

Si ex mundo essetis, mundus vos amaret.

At ex mundo non estis.

Mundus igitur vos non amat.

C.

Fuit connexus: Disjunctus est syllogismus compositus propositionis disjunctæ.

CI.

Estque duorum modorum.

CII.

Primus tollit unum & reliquum concludit, scilicet quod non sublatum est.

CIII.

Si partes disjunctæ propositionis sint duabus plures, judicandi concludendiq; ratio erit eadem, ut:

Aut solvenda pecunia, aut in exilium eundum, aut moriendum.

Atqui non moriendum. Ergo reliquorum alterutrum faciendum.

CIV.

Disjunctus secundus è propositione partibus omnibus affirmatâ, assumit unum, & reliquum tollit. Uno enim oppositorum affirmato negatur alterum.

CV.

Atq; hæcenus de syllogismis simplicibus & compositis breviter egimus: coronidis loco, agemus de nonnullis prosyllogismis, quibus principalis syllogismus ita complicatur, ut quasi nova argumentandi species esse videatur: cujus complicationis & compositionis insignes formæ & modi sunt Dilemma & Sorites.

CVI.

Dilemma est syllogismus cum duobus prosyllogismis complicatus, quâ adversarii sententia assumitur hypotheticè, atq; ita per disjunctum constringitur, ut quicquid dicat, capiatur. Dicitur syllogismus cornutus, quia utring; velut cornibus adversarium petit.

Aut est probus, aut improbus. Si probus, cur accusas eum? Si improbus, cur est familiaris tibi? Ergo aut non debes illum culpare, aut fugere ejus consuetudinem.

CVII.

Judicatur dilemma firmum, si contraria quæ distinguuntur, sunt ἀμειβόμενα, deinde si non faciat pro adversario.

CVIII.

Sorites est syllogismus cum prosyllogismis complicatus, in quo est congeries multorum syllogismorum, in quibus propositiones confunduntur, ita ut consequens prima propositionis, fiat antecedens secunda; secunda propositionis consequens fiat antecedens tertia, & ita deinceps; donec consequens ultima propositionis attribuaturs antecedenti primæ propositionis. Elegans exemplum adfert Philipp. Melancthon in hunc modum:

Nimia ingurgitatio est causa male χύλωσις in ventriculo. Mala χύλωσις in ventriculo parit sanguinem impurum in epate. Impurus sanguis in epate est causa crudorum humorum per totum corpus sparsorum. Crudi humores sparsi in corpus sunt causa cacochymia, & deinde hydropis. Ergo immodica ingurgitatio est causa hydropis.

CIX.

Sorita bona consequentia judicatur potissimum tribus legibus: 1. Quicquid de prædicato alicujus subjecti dicitur, id quoque de subjecto illo dicitur, ut: Fortitudo est virtus. Virtus est habitus. Habitus est qualitas. Qualitas est accidens. Ergo fortitudo est accidens. 2. Quicquid est causa causæ, est etiam causa causati. 3. Sorites debet habere propositiones ex subjecto & adjuncto rectè coherentes. Nisi enim necessariò cohæreant, consequentia non valet, ut:

Ex malis moribus nata sunt bona leges.

Bona leges sunt digna laude.

Digna laude sunt expetenda.

Ergo mali mores sunt expetendi.

CX.

Sorita analysis continetur in hoc theoremate: Ultimum enthymema continet questionem principalis syllogismi. Præcedentes verò præmissæ nihil aliud sunt, quàm enthymematis, quod principalem syllogismum complectitur, prosyllogismi. Ideoque ex Sorite primum principalis syllogismus est eruendus. Deinde assumptio principalis syllogismi est probanda ex præmissis.

Atque hæc de doctrinâ syllogistica, nobilissimo rationis dirigendæ instrumento, ὥς ἐν ἐπιτομῇ commemorare, & examinanda ac excutienda proponere volumus.

Soli sapienti Deo sit honor & gloria in omne ævum.

A D

AD DOMINUM RESPONDENTEM,
AMICUM AC POPULAREM
suum suavissimum.

Rem praestat certè magnam, qui Numine sancto
Fretus pro patriâ bella cruenta gerit.
Tu NEICERE igitur minime privabere laude,
Pro studio veri dum tua tela mores.
Posthac tu meritis miles dicere togatus.
Illam si perges amplificare togam.
Posthabitis aliis Dialectica schemata queris,
Ingenium possunt dirigere illa tuum.
Praemissis positis cur sit conclusio firma,
Inquiris, quare mentis acumen habes.
Hinc igitur pulcrum tibi surget nomen honosq̃,
Munera dum praebeas conspicienda patris.
Has auge dotes, & perge aequare parentem,
Sic cernes studii commoda vera tui.

Amoris ergo canebat.

MATTHIAS EXWEILERUS
Seinano-Aldenkirchensis.

ALIUD AD AMICUM TPIΣ.
φιλιτρον ac contubernalem.

Diversis diversa juvant, varia estq̃ voluptas,
Gaudet & ingenio vivere quisq̃ suo:
Mercibus in variis mercator gaudia quarit:
Militiâ in durâ gaudia miles habet:
Agricolam sua rura juvant, monachumq̃ tiara:
Curat oves pastor, navita navigium:

In studiis alius sinuosa volumina furis
Volvit, res alius tractat agitq; sacras:
Rhetorice alius laudat lepidamq; loquelam,
Et quot sunt homines, tot quoq; mentis opes.
Tu Logicæ jactas, rationis munera queris,
Neicere, in Logicâ mens animusq; tibi est.
Quas video dotes in te residere, labore
Excole, namq; erit hic non sine fruge labor;
Assiduog; preces sanctas simul adde labori,
Sic res ex voto cedit ubiq; tuo.

Gratulabundus canebat

ECKHARDUS ESCHOVEN Runckaliensis.

Sigenæ Nassoviorum.

F I N I S.




AD DOMINUM
AMICUM

Rem praeſtat cunctis
Fretus pro
TU NEICERE
Pro ſtudio veri
Poſthac tu meriti d
Illam ſi perges a
Poſthabit aliis Di
Ingenium poſſu
Præmiſſis poſit
Inquiris, quare
Hinc igitur pulcr
Munera dum
Has auge dotes, &
Sic cernes ſtudi

ALIUD

Diverſis di
Gaudet
Mercibus in va
Militiâ in d
Agricolam ſua rur
Curat oves paſt



1,

ERUS